

nem usuræ trahi potest. Quod enim de pauperibus ibi sermo sit, vel inde constat, quod nihil & ne ipsam quidem sortem reposcere Christus iusserit. Ludovicus de Dieu è textu Syriaco probat, ἀπελπίζειν significare spem auferre, in desperationem redigere; idque probat ex *Sir. 22. v. 22. & c. 27. v. 21. & 2. Maccab. 9. 18.* Sic homines ἀπηλπισμένοι sunt, quorum res desperatæ sunt. *Judith. IX. 12.* ut adeo verborum sensus hic sit: *omnibus petentibus mutuum date neminem frustrantes spe ea, quam de vestra beneficentia concepit.* Conf. *Poli Synopsis. in hunc locum.* Ut sensus Lucae conveniat cum isto *Matth. V. 42.* τῷ αἰτητί σε δίδω, καὶ τὸν θέλοντα ἀπὸ σὲ δανείσασθαι, μὴ ἀποστραφῆς. Jam allegatus Salmasius, *l. c. c. XXI. p. 653.* hunc textum de scœnore non agere exinde probat, quod Patres Niceni Concilii in illo decreto, quo usuras Clericis, & maxime centesimas sesquicentimasque prohibent, nullum è novo testamento præceptum ei sanctioni firmandæ allegent, sed è veteri duntaxat h. e. è Psalmo XIV. Quod magnum argumentum est, nullum ipsis è N. T. in promptu fuisse testimonium, quo usuras ministris Ecclesiæ vetandas esse liqueret, nedum plebejis. Concesso etiam quod agatur hic loci de scœnore, nondum tamen sequitur, si pauperi petenti nihilque lucranti mutuo des nil repetiturus, ergo etiam reliquis ditioribus hoc officium præstare teneris. Vi enim universalis hujus mandati nemini id quod habet vendere liceret, sed petenti donare eum oporteret.

§. XVIII. Restat tertium, seu quæstiones, quas tanquam materiæ huic obvias enucleare breviter constitui. Prima itaque hæc sit quæstio, an usura quandoque sit licita, etsi debitor nullum ex mutuata pecunia lucrum perceperit? Resp. affirm. si vel vitam vel famam lucri loco parare poterit aut servare. Ponam casum aliquem, modernis temporibus nemini ignotum; videlicet mercatorum quendam à creditoribus ad mutuum restituendum adigi, ipsum vero statò tempore solvendo non esse; accedere eundem ad alium ac petere, ut certa sibi pecuniæ summa succurrat; gratificari alterum eo pacto ut usuram reddat, quia præsentem pecunia ipsemet multum sibi lucri acquirere possit: debitorem vero accepta mutuo pecunia satisfacere deinde creditoribus, famæque pariter ac fidei consulere. Quam quia cum vita juxta tritum illud pari passu ambulare persuasum nobis est, vita autem maximis auri argentique impensis, siquidem servari poterit, emitur; satis, puto, hunc ipsum debito-